



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 71. Variæ Constitutiones a Gregorio XIII. Papa editæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1583.

nabat, existimans, quod nemo eorum Ecclesiæ sese aggregare valeat, cum hi omnes affirmarent, quod de conversione, & probitate eorum, ex quibus illorum Ecclesiæ conflantur, certi non essent, ac insuper illi tolerarent peccatores, quibuscum tamen juxta hunc Auctorem nullum commercium foret habendum: porro ex horum scriptis plura etiam pullulabant responsa, ac demum adeo vehemens disputatio, ut ex Puritanis nonnulli extremo afficerentur supplicio.

## §. LXXI.

*Variae Constitutiones a Gregorio XIII.  
Papa editæ.*

Bull. t. 2.  
Const. 80.  
Et seq. pag.  
495.

Cum interea Romæ summus Pontifex certior fieret, haud leves corruptelas in Italia fuisse invectas ex eo, quod Abbatissæ, & monasteriorum Priorissæ ad dies vitæ suis fungerentur officiis, hinc Gregorius XIII. hoc anno die prima Januarii diploma edidit, quo præcepit, ut Abbatissæ, & Priorissæ nonnisi ad triennium eligerentur juxta suorum Ordinum Institutum, & sacri Concilii Tridentini decreta: hujus vero Constitutionis rationem in hac Bulla Pontifex sequentem affert, eoquod sperandum sit, *Abbatissas, & alias Præfectas triennes, scientes*

tes se lapso triennio suæ administrationis rationem esse reddituras, ac sperantes de beneficiis laudem promereri, pœnam vero, si male gesserint, metuentes, majori studio, ac diligentia regimen, & administrationem Monasteriorum sibi commissorum gesturas.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1583.

Verum hæc Constitutio duntaxat ad Italiam, & Siciliam restringebatur: alio autem diplomate die vigesima nona Aprilis evulgato ab eodem Pontifice innovatur excommunicatio, & anathema quorumcunque hæreticorum, necnon aliorum omnium, qui contentis in bulla *Cœnæ Domini* contraveniunt.

In secundo hujus Constitutionis articulo Papa anathemate percellit omnes, qui ab ordinationibus, sententiis, seu mandatis tam ipsius Gregorii XIII. quam aliorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellaverint, præterea eadem pœna condemnat eos, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit.

Tertia Bulla promulgabatur die vigesima nona Mensis Aprilis, ubi Ordinis Melitensis equitibus, qui ad Episcopatum promoventur, præcipitur, ut sua prædia, quæ *Commendæ* vocantur, aut alia prælati Ordinis beneficia dimittant, quapropter illis inhibitum, ne unacum suo Episcopatu ejusmodi præ-

Sæcul XVI.

A.C. 1583.

dia absque speciali Sedis Apostolicæ licentia retineant. Quartum diploma die vigesima quinta Junii editum agit *de electione, numero, & qualitatibus Magistrorum sacræ Theologiæ, de cetero in Provinciis Italiæ eligendorum ex ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini.*

Ceterum Papa ad promulgandam hanc Constitutionem ideo permovebatur, quod multi ad hosce honores promoti propriis potius, quam communibus commodis servirent, seque ipsos publicis officiis, oneribus, & laboribus subtrahere satagentes, ad Magisterii, seu Magistri, sive Doctores gradum propter anhelarent, atque in suis monasteriis monasticam disciplinam negligerent. Denique quinta Constitutione die decima quinta Julii Papa declarat præcedendi ordinem inter ordines Medicantium, & inter Confraternitates Laicorum in processionibus.

Hanc in rem Pontifex ita asserit:  
 „Nos considerantes controversias hujusmodi in Ecclesia, præsertim inter  
 „religiosas personas, quæ relictis mundi vanitatibus famulatum, & votum  
 „suum in humilitatis spiritu Domino,  
 „& Deo nostro, qui se pro nobis usque  
 „adeo humiliavit, ut formam servi acciperet, exhibere, & persolvere præstentur, non modicam illi præclaræ,  
 „Deo-

„Deoque præcipue dilectæ virtuti, quæ  
 „est humilitas, labem infundere, po-  
 „puloque scandalum generare, ac pro-  
 „pterea illas omni ratione submoven-  
 „das, publicæque Religionis tranquil-  
 „litati, ac ministrorum Ecclesiasticorum  
 „reconciliationi, & mutuæ dilectioni  
 „quamprimum consulendum esse rati,  
 „ac supremam huic negotio manum  
 „apponere volentes, necnon caussas,  
 „lites, seu controversias hujusmodi  
 „ubilibet, & coram quibusvis Judici-  
 „bus motas, & in quibusvis instantiis  
 „indecisas pendentes ab eisdem judi-  
 „bus harum seriem ad nos advocan-  
 „tes, illasque penitus extinguentes, eis-  
 „dem Fratribus Mendicantibus, ac  
 „Confratribus super præmissis perpe-  
 „tuum silentium imponimus.

§. LXXII.

*Synodus Limæ in Peruano Regno  
 habita.*

Eodem anno Limæ, quæ in America  
 Urbs, ac Peruani Regni Metropo-  
 lis Archiepiscopali sede illustris est, Sy-  
 nodus habebatur ab Alphonso Mogro-  
 vejo Taurinensi Archiepiscopo, eaque  
 ad revocandam Ecclesiæ disciplinam,  
 morumque emendationem erat convo-  
 cata, ex cujus actis elucet, quod ibi-  
 dem quidam Theologiæ Professor in  
 hac

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1583.

Joseph  
 Acosta lib. 2.  
 de noviss.  
 cap. 2. &c.